

juris in 6. *Generi per speciem derogatur*, cum concordantiis : atque amplius dictum est supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 49, n. 496 et 497. Et ita tenet, atque a sacra congregatione concilii sæpius fuisse declaratum, asserit Garcias, part. III. *de Beneficiis*. cap. II. n. 346. et 347; Fagnanus c. *Licet*, n. 71. et 106. *de Præbend.* c. Pirhing h. t. n. 29. cum aliis.

152. *Duo illi canonici, etiam inviti compelli valent ab episcopo ad sibi inserviendum.* — Ad dant doctores, quod illi duo canonici non solum possint, verum etiam inviti compelli valeant ab episcopo, ad inserviendum ipsi in his, quæ respiciunt ipsius, et ecclesie utilitatem. Glossa c. *Ad audientiam*. §. *Ut duo*. h. t. ibi : « Ultra duos non posset cogere, » etc. ac notat Abbas ibid. n. 3. et Innocentius c. *De cætero*. et Fagnanus ibid. n. 15. eod. ac Joan. Gutierrez, *Canonic. quæstion.* lib. I. cap. 1. n. 149. et alii. Unde causa absentie pro servitio episcopi, ut episcopi, non solum est justa et probabilis, verum etiam necessaria : cum sit justificata, et approbata a jure, atque includat necessitatem obsequendi, prout subdit Fagnanus n. 16.

153. *An illi duo canonici, non solum possint esse de ecclesia cathedrali, sed etiam collegiata? variant doctores. Affirmativa sententia est probabilior, juriq; conformior.* — Resp. II. An duo illi canonici episcopo inservientes, non solum possint esse de ecclesia cathedrali, sed etiam de ecclesia collegiata, variant doctores : sententia tamen affirmativa est probabilior, juriq; conformior. Ita Fagnanus d. c. *De cætero*. n. 11. et 14. h. t.; Navarrus cap. xxv. *Manual.* n. 121; Rebuffus in *Praxi Benefic. tit. Dispensatio de non residendo*, n. 35. et 36; Barbosa *De canonicis et dignitat.* cap. xxv. n. 8. asserens se non semel vidisse in dubium revocari, an idem dicendum, si episcopus in sui servitium velit habere duos canonicos ex collegiata; sed affirmativam esse veriorem : pro qua citat etiam Monetam *de Distribud. quotid.* p. 2. q. 8. n. 6. et Lotterium, lib. III. *de Re beneficiar.* q. 27. n. 190. Id ipsum (subdit Barbosa) fuit decisum a sacra congregatione concilii die 9 septemb. 1628. Quæ proposito sibi hoc dubio, censuit, « Episcopum posse uti opera duorum canonicorum, sive de cathedrali, sive de collegiata ecclesia. »

154. *Solvuntur contrarie.* — Dices cum Pirhing h. t. n. 30. oppositum tenente. In cap. *De cætero*. 7. et cap. *Ad audientiam*. 15. h. t. unde prior conclusio desumitur, sermo

duntaxat est de canonicis ecclesiarum cathedralium; ergo dispositio in eisdem facta, non est extendenda ad canonicos ecclesiarum collegiatarum, atque clericos inferiores. Probatur consequentia; tum quia non est tanta unio inter istos et episcopum, quanta est inter episcopum et canonicos cathedrales, qui constituunt unum corpus, cujus ille caput, et isti membra esse noscuntur, cap. *Novil.* 4. *De his, quæ fiunt a praelatis, etc.*; tum quia memorata dispositio, ut duo canonici cathedrales in servitio episcopi gaudeant fructibus suæ præbendæ, est exorbitans a regula communi, vi cujus non nisi præsentibus fruuntur istis fructibus, sicque non debet extendi ad casus alios, præsertim disparatos. Resp. neg. anteced. Quia, ut notat Fagnanus in cit. cap. *De cætero*. n. 2. h. t. textus hujus decretalis loquitur simpliciter de « Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, » statuendo, ut supra : neque colligitur ex superscriptione, cui, et de quibus canonicis, ecclesiarum collegiatarum, vel cathedralium duntaxat, decretalis eadem loquatur. Atqui, « ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, » ut loquitur summarium in l. *De pretio*. ff. *de Publiciana in rem action.* cum similibus.

155. Nec urget, quod non sit tanta unio inter episcopum et beneficiarios inferiores, quanta est inter episcopum et capitulum cathedrale, ejusque canonicos. Etenim in citatis canonicis ac præsertim cap. *Ad audientiam*. h. t. pro ratione fundamentali, atque finali relatæ dispositionis, non affertur major unio, sed præstitum servitium, ibi : « Cum absentes dici non debeant, sed præsentibus, qui tecum pro tuo, et ipsius Ecclesie servitio comorantur : » atqui hæc ratio æque militat in canonicis ecclesiarum collegiatarum, non minus, ac cathedralium; tum quia eadem decretales emanarunt principaliter ad bonum ecclesiarum, atque servitium episcopis præstandum, in quibus est ecclesia, cit. can. *Scire debes*. 7. q. 1. Unde, veluti ecclesiis favorabiles, potius sunt ampliandæ, quam restringendæ : nam, ubi favor et odium ab invicem nequeunt separari, lex principaliter lata in favorem alicujus (puta, episcopi, seu ecclesie, ut hic) censetur omnino favorabilis, sicque late interpretanda, juxta Glossam cap. *Statutum*. §. *Numerandum. de Præbend.* in 6. estque ex professo declaratum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 17. n. 437. 439. et seqq. Ac per hoc patet responsio ad alteram probationem consequentiæ, numer.

præc. allatam. Negatur enim assumptum, sive quod dispositio cit. c. *De cætero*. et cap. *Ad audientiam*. h. t. sit exorbitans a regula communi : cum potius hanc favorabiliter limitet, ad bonum commune ecclesiarum.

156. *Idemque dicendum de clericis inferioribus, quando ex canonicis non adsunt æque idonei ad servitium episcopi, exceptis tamen curatis.* — Et hæc ratio tam fortiter stringit : ut allatam conclusionem secundam etiam de quibusvis aliis ejusdem ecclesie clericis procedere, asserat Fagnanus c. *De cætero*. n. 11. et 14. et Navarrus cap. xxv. *Manual.* n. 121. etsi dissentiat Barbosa d. cap. xxv. *de Canonic. et dignitat.* n. 8. vers. *Cum ergo Jura*. Eademque conclusionem pariter in clericis inferioribus admittendam esse, saltem quando ex canonicis cathedralibus æque idonei haberi non possunt ad tale servitium episcopo præstandum : censet Abbas cap. *Ad audientiam*. n. 8. h. t. Layman lib. IV. *Theolog. moral.* tract. II. cap. vi. ac ipsemet Pirhing cit. n. 30. vers. *Excipi.* h. t. Dummodo hinc excipiantur parochi, aliique curati, juxta dicta superius § 3. n. 94. et 95.

157. *Consuetudo contraria, an excuset a residentia in beneficiis? Loquendo de beneficiis curatis, respondetur negative.* — Queritur III. Utrum consuetudo contraria excuset a residentia in beneficiis, ejusque obligationem tollat? Resp. I. Loquendo de beneficiis curatis, nulla consuetudine, etiam immemoriali induci potest, ut rector ecclesie in ipsa non resideat, neque idoneum vicarium pro se constituat. Ita Abbas cap. *Extirpanda.* in Repetit. § *Qui vero*. n. 36. *de Præbend.* et communis. Ratio est clara, quia talis consuetudo esset irrationabilis. Cederet enim in magnum damnum ecclesiarum, suo rectore penitus destitutarum : certumque contineret periculum animarum parochialium, cum nemo adesset, qui ipsis indigentibus sacramenta ecclesie ministraret, atque in cæteris curam animarum gereret : quia ut hæc conclusio supponit, neque idoneus vicarius relinqueretur.

158. *Consuetudo etiam immemorialis, inserviendi per vicarium in beneficio curato, fructusque in absentia percipiendi, non valet.* — Resp. II. Consuetudo, etiam immemorialis inserviendi per vicarium in beneficio curato, sique fractus in absentia percipiendi, non valet. Ita Abbas cit. n. 36; Joan. de Selva *Tractatum* tom. XV. tract. *de Beneficio*, part. IV. quæst. 2. n. 4; Fagnanus cap. *Ex parte*. n. 27. h. t. citans alios; quamvis non

desint oppositum tenentes, loquendo tamen de consuetudine immemoriali, ac signanter Navarrus, consil. 21, n. 4, et seqq. *de Cleric. non resident.* et Pirhing h. t. n. 14. Ratio conclusionis est, quia etiam talis consuetudo est irrationabilis; cum sit periculosa animabus parochianorum, eo quod in commissione curæ animarum eligatur industria personæ : atque ideo non est rationabile, quod talis persona electa, possit curam animarum suæ industriæ specialiter commissam, in perpetuum relinquere, aliique committere. Accedit quod residentia beneficiorum curatorum sit de jure divino, ut dictum n. 10. Atqui juri divino nulla contraria consuetudine derogari potest, etiamsi sit immemorialis; cum verius sit corruptela, cap. ult. *de Consuetud.* Et huic sententiæ concordat concilium Tridentinum, sess. 23. cap. 1. § *Eadem omnino, de Reform.* ejusmodi consuetudinem appellans corruptelam, illis verbis : « Consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est. »

159. *Consuetudo temporis immemorialis, an æquipollet privilegio? — Dices. Consuetudo temporis immemorialis æquipollet privilegio, ita ut quidquid induci potest per privilegium, possit etiam per talem consuetudinem, l. Hoc jure. § *Aque ductus*. ff. *de Aqua quotidian.* et c. *Super quibusdam*. 26. § *Præterea. de Verb. signif.* Sed per privilegium Papæ induci potest, ut rector ecclesie parochialis non teneatur exercere curam animarum per se ipsum, sed duntaxat per alium; sicuti jure communi statutum est, ut istud fiat per vicarios perpetuos : ergo id ipsum induci potest per consuetudinem, saltem immemorialem. Resp. cum Fagnano c. *Cum contingat*. n. 8. et 11. *de Foro compet.* dictum illud, in majori allegatum, non procedere universaliter; ac præsertim tunc non, quando consuetudo est a jure reprobata (prout fit in proposito, dum concilium Tridentinum eam potius « corruptelam censendam » asserit) quia talis nullo modo habet vim privilegii, c. *Cum instantia*. 17. *de Censib.* Vide plura de hoc superius lib. I. tit. IV. *De consuetudine*. § 3. n. 65.*

160. *In beneficiis simplicibus valet consuetudo generalis excusans a residentia personali, nisi ex fundatione, etc., oppositum habeatur.* — Resp. III. Loquendo de beneficiis non curatis, est distinguendum. Quia aut est sermo de beneficiis simplicibus : et valere generalem consuetudinem, quod quis non teneatur

personaliter residere, sed per substitutum possit satisfacere suæ obligationi nisi ex fundatione, statuto, aut consuetudine particularis ecclesiæ, ad residentiam personalem astringatur, patet ex dictis supra n. 9.

161. *Imo et data tali fundatione, potest per longævam consuetudinem obligatio residendi tolli.* — Atque istud ampliatur, etiamsi in fundatione fuerit imposita obligatio personaliter residendi. Adhuc enim per longævam, et legitime præscriptam consuetudinem, hujusmodi obligatio tolli potest, arg. c. *Cum omnes*. juncta Glossa fin. *de Constitution.* ac notat Abbas ibid. n. 10. istud intelligens, dummodo non fiat præjudicium magnum Ecclesiæ. Felinus cit. cap. *Cum omnes*. n. 32. vers. in gloss. fin.; Navarrus consil. 6. *de Clericis non resident.* n. 1. et seqq.; Joan. de Selva cit. tract. *de Beneficio*, part. IV. quæst. 2. n. 1. et seqq.; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 5, n. 107. citans alios; atque asserens, ita fuisse declaratum per sacram congregationem concilii.

162. *Loquendo de dignitatibus non curatis, et canonicatibus, valebat antiquitus consuetudo percipiendi fructus in absentia.* — Aut est sermo de dignitatibus non curatis, et canonicatibus ecclesiarum cathedralium vel collegiarum: et tunc antiquitus valebat consuetudo, quod quis in absentia potuerit percipere beneficium, ubi talis consuetudo vigeat, arg. cap. *Cum omnes*. juncta Glossa fin. *de Constitut.* Dummodo Ecclesia non indignisset servitoribus, sive ministris, eo quod multi fuissent beneficiati in Ecclesia, qui tenebantur residere, et non nisi pauci eorum sese absentare solebant; sicque consuetudo illa non intulisset gravamen Ecclesiis. Alias secus: ut cap. 1. *de Consuetud.* et cap. ult. *de Rescript.* in 6. ac notat Abbas cit. cap. *Extirpandæ*. in Repetit. § *Qui vero*. n. 31. *de Præbend.* et Fagnanus cap. *Cum omnes*. n. 18. *de Constitut.* post Innocentium, Hostiensem, Joann. Andream, et alios ibid.

163. *Hæc tamen consuetudo novissime per concilium Tridentinum sublata fuit. Quamvis hoc ipsum non ubique fuerit usu receptum.* — Ad dicitur notanter, « et tunc antiquitus, » etc. Nam hujusmodi consuetudo percipiendi fructus in absentia in ecclesiis, cathedralibus, et collegiatis, novissime per concilium Trident. sess. 24. cap. XII. vers. *Præterea. de Reform.* sublata fuit, atque cassata, sequentibus verbis: « Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicas,

præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, » etc. Atque, ut notat Fagnanus c. *Cum omnes*. n. 21 et 22 *de Constitut.* et Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 197. ex sententia sacræ congregationis, per allegatum decretum concilii sublata fuit consuetudo etiam immemorialis, secundum quam ex quavis causa, et ultra tres menses, quolibet anno ab eisdem ecclesiis abesse licuerat; prout amplius patet ex declarationibus dictæ sacræ congregationis, quas verbalim adducit Garcias cit. n. 197. Verum tamen, quod præfata constitutio concilii Tridentini in multis locis, ac (præsertim Germaniæ) ecclesiis, non fuerit usu recepta, inter alios observat Pirhing h. t. n. 6 et 15, Sannig, eod. cap. III. n. 9. (ADNOTATIO XLVI.)

§ VI

DE DISTRIBUTIONIBUS QUOTIDIANIS, EARUMQUE CONSTITUTIONE, AC LICITA PERCEPTIONE.

164. *In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, collectio omnium fructuum annuorum, appellatur Mensa communis.* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine distributionum quotidianarum: et unde sint deducendæ: et cur? Resp. I. Prænotandum est, quod in ecclesiis tum cathedralibus, tum collegiatis, collectio omnium fructuum annuatim toti capitulo obvenientium, appelletur *Mensa communis*: ut est textus in. c. *Cum M. Ferrariensis*. 9. *de Constitut.* Et hujusmodi mensa communis complectitur universos fructus totius capituli, postmodum dividendos in singulos canonicos, aliosque ejus officiales, prout cujusque merita seu labores deposcunt. Deinde inter ipsosmet fructus, canonicis pro rata dividendos, est differentia: nam alii vocantur fructus annui, seu grossi: alii vero, distributiones quotidianæ. Et quidem.

165. *Fructus annui, seu grossi, qui? Vocantur etiam Fructus præbendæ: vel absolute Præbendæ.* — Fructus annui, seu grossi, sunt illi, qui dantur propter annuam residentiam in loco canonicatus. Atque isti non raro dicuntur *Fructus præbendæ*: vel absolute, *Præbendæ*: ut cit. c. *Cum M. Ferrariensis. de Constitut.* ibi: « Antiquis canonicis præbendas, cum integritate percipientibus. » Et c. *Dilectus* 19. *de Præbend.* ibi: « Idem fructus præbendæ percipere non deberet: » cum si-

milibus. Et hujusmodi redditus annuos, seu fructus grossos, sive præbendam lucrari etiam ab illis canonicis, qui ex legitima, et a superiore approbata causa absunt a loco beneficii, certum est, atque hactenus in pluribus jam casibus declaratum: censentur enim esse residentes fictione juris, licet vere ac realiter non resident, juxta dicta superius § 1. n. 7.

166. *Distributiones quotidianæ, seu præsentia, quæ? Dicuntur etiam Victualia, et Manualia beneficia.* — Distributiones quotidianæ, seu (ut vulgo appellantur) præsentia, dicuntur illi fructus canonicales, qui propter singulas præsentias in choro, sive divino servitio, dantur canonicis interessentibus, seu vere, et actualiter præsentibus. Et hæc in c. *De cætero* 7. h. t. alio nomine vocantur *Victualia*, illis verbis: « Nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. » Imo in cap. un. h. t. in 6. etiam dicuntur *Manualia beneficia, seu Victualia*. Atque de istis in præsentibus Paragrapho specialiter est sermo: unde.

167. *Hæc vel sunt constitutæ ab antiquo per pias fundationes, vel debent constitui deducendo tertiam partem fructuum mensæ capitularis.* — Resp. II. Distributiones quotidianæ in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, vel jam sunt constitutæ ab antiquo per speciales pias fundationes: vel si in eisdem non adsint, aut nimium tenues existant, pro eisdem constituendis tertia pars fructuum mensæ capitularis deduci debet. Ita novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 21. cap. III. *de Reform.* illis verbis: « Statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatum, personatum, portionum, et officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, et cæteros divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab episcopo, etiam tantquam apostolica Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur: Salvis tamen, » etc. Hæc ibi.

168. *Et hoc posterius declaratur.* — Ex quibus sacri concilii verbis inter cætera patet, quod illa tertia pars fructuum in distributiones convertenda, non possit deduci, nisi ex canonicatibus, et aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata ecclesia existentibus aut

ipsis unitis: neque extra ecclesiam cathedrallem, aut collegiatam, hoc decretum habere locum. Prout a sacra congregatione concilii fuisse declaratum, refert Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. num. 473 et 474. ac seqq. apud quem plura de hoc.

169. *Distributiones quotidianæ principaliter institutæ sunt ad promovendum cultum divinum.* — Resp. III. Distributiones ejusmodi quotidianæ principaliter in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis institutæ, atque decretæ fuerunt ad promovendam cultum divinum: sive, ut clerici eo libentius, atque studiosus, intersint officiis divinis, si præsentem accipiant aliqualem remunerationem, eadem cæteroquin carituri. Textus est in concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. III. *de Reform.* ubi a principio, et pro ratione motiva, seu finali, detrahendæ tertiæ partis fructuum, ut supra, præmittitur sequens « Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta: ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum in rebus omnibus obsequium præstetur: statuit sancta synodus, » etc. præcipiens, ut supra. n. 167. tertiam partem fructuum pro distributionibus quotidianis separandam esse.

170. *Aliud est Residere in loco beneficii: aliud Interesse divinis.* — Unde sciendum, quod aliud sit. « Residere in loco Beneficii: » et aliud, « Interesse divinis officiis. » Nam *Residere* censetur ille clericus, qui in loco beneficii, debito tempore commoratur, etiamsi ad modicum absit: puta canonicus ad duos vel tres menses. *Interesse* vero divinis solummodo dicitur ille, qui obtinens beneficium ipsis officiis divinis celebrandis actualiter præsens est (sive interest) et ministerium eorum celebrationi, ac altari exhibet. Glossa in cap. un. §. *Ad fuerit*. h. t. in 6. Covarruvias lib. III. *Var. resol.* cap. XIII. n. 3. et alii. Atque istis interessentibus duntaxat debentur distributiones quotidianæ, ut hac ratione magis excitentur canonici ad interessendum officiis divinis spe alicujus præsentis remunerationis, qua cæteroquin carere cogentur; sicque cultus divinus promoveatur.

171. *Simoniacum non est, dare distributiones quotidianas iis, qui intersunt officiis divinis, et cur?* — Neque ex dictis quis perperam inferat, istud esse simoniacum, dum distributiones quotidianæ, quæ sunt quid temporale, dantur pro actuali exercitio cultus divini, sive ministerio mere spirituali. Resp. enim ejusmodi distributiones non dari pro ministe-